



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

VIII. De Svvencckfeldio nouae haereseos auctore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

Stifelium nota præfectum reddidit adi.  
 Nos vero miseros, miseros nos ille reliquit  
 Elusos misere; quorum pars rabe periiuit:  
 Pars sua crudeli confodit pectora ferro.  
 Pars quorum numerum fugiens mæstissimus auxi,  
 Diuersas adijt patrijs à sedibus oras.  
 O utinam vero contingeret in finis ordo,  
 In quo sexusij mihi pondera ferre liceret.

Alius quidam recordiâ Stifelio nihil cedens, è nostra schola egressus, (a) Ioannes Campanus nomine, in Cluienti ditione populo similibus deliramentis illustr. Omnes vero hi, quos in hæresis hoc theatro diuerso habitu à nobis productos vidisti, quamuis ipse Orcus nihil euomere potuisset execrabilius, impijs suis erroribus Sacram Scripturam prætexebant, hanc cynosuram suam & regulam esse iactabant; nec quidquam in ore ipsorum erat frequentius quam Euangelium: à quo etiam, more omnium hæreticorum superbum sibi, ad Catholicis insultandum sumentes titulum, EVANGELICI appellari voluerunt. Et hunc quidem titulum non Lutherani tantum, sed & Zuingliani, Caluinistæ, Anabaptistæ, & alij omnes ex æquo sibi vendicant.

VIII. Horum vnus equestris ordinis, solus facere tentauit quod ipse diabolus tentare vix ausit. Contra enim quam alij fecerant, Sacram Scripturam penitus abolere conatus est, Lycurgi credo, exemplo, qui leges suas scripto consignari noluit. Hanc enim omnium controuersarum, & litium aiebat esse subiectum. Gaspar Schvvenckfeld ei nomen fuit, quem Lutherus per ludibrium Stinckfeld appellare solebat. Licet vero doctrina huius hominis omnium fere reliquorum dogmatis aduersaretur, non paucos tamen nacta fuit sectatores. Fuit vero Schvvenckfeld natione Silesius, nobili loconatus, disertus admodum, qui sectam quandam inter Romanum Antichristum & Lutherum hæresarcham, vt VVigandus scribit, & ipse in libro *De triplice vita* fateatur, inter mediam eudere instituit; petitis ex Apocalypsi præcipue argumentis vel deliramentis potius, & in omnibus non literali, sed mystico seu spiritali quæsito sensu. Inter alios ipsius sectatores quos eloquentia & doctrina sibi adiunxerat, fuit Sigismundus quidam Pastor Lignicensis, qui vnâ cum Schvvenckeldio Silesiæ populos multis erroribus implicauit. A Friderico Palatino Comite eiectus Schvvenckfeldius in Saxoniam abiit, vbi cum Luthero de aliquor Fidei

articulis disputauit, persuaderi tamen non potuit, vt ad Lutheranam Ecclesiam, cum qua diuortium fecerat, rediret. E Saxonia Augustam Vindelicorum, atque inde Vlmam & Argentoratum peruenit, nouam suam religionem, totam spiritualem, & nihil carnale, vti dicebat, redolentem, vbique disseminans, ac plures passim tam eloquẽtia quam externa vitæ sanctitate siquidem in se ipsum valde fuit rigidus, & hominum iudicio agebat vitam valde alienam à vitijs, quæ apud Lutheranos vigeabant, à quibus suos strenue auocabat, & priuatim in domibus habens conciones ad se alliciebat. Suos sectatores *Confessores gloria Christi* appellari voluit. Lutherus vero hunc hominem acerbè oderat & quamuis, ex Lutheri scriptis dogma de Deificatione Christi hominis hausisse se profiteretur, nihilominus tam ipse quam omnes cum ipso sentientes in Conuentu Anno M D XXXVII. Smalcaldiæ habito, hæreseos fuerunt condemnati. Eius de Cœna Domini sententiæ suæ Explicationi VVolfgangus Capito magni nominis Prædicans applaudit, præfatione libris eius præfixa.

Præcipua erratici huius Equitis dogmata fuerunt: (b) Ad salutem consequendam nec lege nec scriptura opus esse: oportere hominem diuina inspiratione doceri, & Dei opera in magno huius Vniuersi libro proposita contemplari, atque ex eis Dei cognitionem haurire. Scripturam S. meram esse creaturam & occidentem literam: Iesum Christum non contineri sub littera; sed diuino spiritu, qui se hominibus communicet, cognoscendum esse. Ad hæc probanda, S. Scripturæ utebatur testimonijs (c) Ac primo, *annon*, inquit, *apud S. Mattheum ipse Saluator dicit, Nos vnum tantum magistrum in cœlis habere, neque alium esse qui docere nos possit aut debeat? Et apud S. Ioannem, solus Christus Verbum esse dicitur. Et D. Paulus, Littera, inquit, occidit: spiritus autem viuificat &c.* Hic vero mi Lector vide quæso, quam turpiter homines S. Scripturam abutantur, & insignem hominis improbitatem, Scripturam ipsa Scriptura impugnare atque euertere conantur! vt legere est in libris ab ipso editis. *De abusus Euangelij, & De Verbo Dei.* Simili ratione Ambro-

B b fuis,

a Lindanus lib. 1. cap. 9. de fug. Ido. b Vid. Confess. Mansfeld. & Lauren. Hartenr. Illyr. in Præf. super Epistola Postelli. Vlenberg. Vir. Luth. cap. 32. n. 2. Schüsselb. in Casal. Hæret. de Schvvenck. Curæ in Chron. Silesia Anatom. Eccl. Catholica Tract. 1. c. Esa. 18. 1ere. 29. 1. Thessal. 2. 2. Per. 1. &c.

sius, nescio quis, verumque Testamentum rejicere non dubitavit, ut Eccius in Refutatione Zuinglianæ Confessionis testatur, & alius nostri temporis scriptor, Ortho Braunfelsius nomine, Evangelia ab Apostolis scripta esse negavit: adeoque hos sapius fictis narrationibus historiam suam referisse, summa cum impietate asseveravit. Schvuenckfeldius præterea renouatis veterum Manichæorum & Valentianorum erroribus, docuit, Iesum Christum non in utero Mariæ virginis virtute Spiritus Sancti fuisse conceptum, sed, quod hominem à Deo ad nos redimendos expresse creatum, sibi coniunxerit: huncque ipsum hominem post ipsius ascensum ad cælos Deum, factum esse. (a) Personam Filij esse quoque personam Patris. Non à Deo Patre verba hæc de cælo prolata, *Hic est filius meus dilectus*; sed vocem tantum fuisse de nubibus expressam. Fidem nihil aliud esse quam essentiam & naturam Dei. Omnes Christianos naturales esse Dei filios, ex natura & essentia diuina ab ipso procreatos; Christum vero omnium esse sanctissimum, primogenitum & hæredem. Oh horribiles blasphemias! Recte ergo Hofius ait, Sathanæ Euangelium à Luthero initium cepisse: idemque per Schvuenckfeldium fuisse consummatum, tanta discipulorum & sectatorum frequentia, ut multis in locis Germaniæ & Helvetiæ plures Schvuenckfeldiani quam Lutherani reperti fuerint. Georgius quidem Häsfeldius Calvinista Schvuenckfeldium vicæ probitate atque integritate Luthero superiore fuisse testatur, sed Melanchthon longe aliter sentiebat, dicens, Schvuenckfeldium centum habere manus, & armatas vndique circa se copias, quibus nefaria passim scripta spargat, & turbas atque seditiones excitet. Viginti octo annis quibus hinc inde vagatus est, quin quaginta libri ab ipso scripti feruntur, à Schlussemburgio libro X. recensiti: quos ille plerosque vix dum natos ad Lutherum mittere solebat, ut cum tanto magis ireret. Vide hic etiam Lectorem amice, quæ ratione Luthero Deus per suos punierit, & quamuis Lutherus simpliciter fuerit malis ex suo abyssi puteo aperto: siquidem missis ad Lutherum libris suis, cum nuncius Schvuenckfeldij censuram urgetet; in hunc modum Lutherus nuncio eius rescripsit: *Mimuncie, Domino tuo Casparo Schvuenckfeldio renuntiabis, quod à te litteras ipsius acceperim & libellos. Atque, utinam ille cessaret. Nam ignem accendit in Silesia de Sacramento qui nondum extinctus est, sed ardebit in ipsum perpetuo. Præterea nunc progredere ad Entychianismum renouans & Ecclesiam perturbat*

*bat cuius rei mandatum non accepit, nec vocatus est. Insanus morio per demonem obsessus nihil intelligit nec scit, quid garrat. Quod si non vult quiescere, nō est quod me post hæc obrundat . . . . .* (Omitto spurcissimum verbum à Luthero positum) *libellis mittendis, quos diabolus ex ipso euomit, & per posteriora emittit. Atque, hoc extremum à me iudicium habeat & responsum: increpet Dominus in te Satan, sit spiritus tuus, qui te vocauit & cursus tuus, quo curris & omnes qui participant tibi Sacramentarij & Eutyriani tecum in perditionem, quia scriptum est: currebant & ego non mittebam &c. Anno 1545. Ita Lutherus sub finem vitæ valde munde.*

Docuit idem Schvuenckfeldius, stultum esse cogitare, Christi corpus in Sacramento præsens esse. Hominem sine Sacramentorum mysterijs saluari posse, neque ea ad salutem esse necessaria. Corpus Christi de cælo assumptum, modo quodam aereo panis circumfundit. Ex quo sequitur, corpus Christi iam glorificatum omnia replere. Vides ubiquitarum originem, atque Saluator corpus suum ante glorificationem discipulis manducandum dedit; & corpus post glorificationem demum, ut dicit Schvuenckfeldius deificauit. Non minus ergo inepta quam impia est Schvuenckfeldij opinio, quæ olim etiam fuit Appollinaris, Marcionis, & Valentini existimantium, Christum corpus suum de cælo attulisse. Qui plures Schvuenckfeldij errores cognoscere cupit, Confessionem Mansfeldensem legat. Lutherus summus nouorum Evangelicorum Pontifex Schvuenckfeldium reprehendit quod docendi munus usurparet, nec rationem suam probare posset. Sed festucam in oculo alterius vidit, qui trabem in suo videre non poterat.

Furiosi huius hæretici non minus furiosus hæreticus Lutherus (b) passim mentionem facit, ac præsertim ubi diuersas de Cæna Domini opiniones recenset. Schvuenckfeldius enim dicebat, verba hæc, *Hoc est corpus meum*, plane esse obliteranda, ut quæ spirituali intellectu, obsterent. Sic verò intelligenda: *Hoc est corpus meum* id est, *Corpus meum est hoc*, nimirum spirituale quiddam. Zuinglius, ut scribit V. Wolfgangus Capito, *Est*, interpretatur pro *significat*. Oecolampadius *Corpus* pro *figura Corporis*. Schvuenckfeldius, *Hoc*, pro signo quodam spirituali, quo animus ad panem illum cælestem

a Cochli. cap. 3. & 4. de scrip. & Eccle. auctoritate. b Tom. 12. Vitæ. p. 210. Tom. 8. p. 173. Schlussemburg. de Schw. p. 42. c Luth. Tom. 2. Germ. fol. 259 & in 17. cap. Ioan. & in Breui Conf. Tom. 8.

Item, qui ipse est Christus, eleuetur. Nolo confundi his ineptiis immorari: non possum tamen non mirari extremam eorum amentiam qui tam absurdis, non dicam SS. litterarum Doctores, sed ne homine quidem dignis, opinionibus assentiuntur. O cœcas hominum mentes, ô pectora cœca! O miram diaboli astutiam, & quiduis suis persuadendi artem! Contra nobilem hunc Doctorem, cuius secta post mortem Lutheri præcipue inualuit, circa Annum MDLIV. Lutherani quamuis diuersarum factionum Naumburgi synodum celebrarunt, cui interfuerunt Amsdorffius, Ionas, Pomeranus, Cruciger, Melancthon, Coruinus, Bucerus, & alij: ac post multam disceptationem ac diffensionem, Schuuenckfeldianorum sectam cõcondemnarunt, ac præcipue errores duobus libris Schuuenckfeldij *De duplici statu Christi, & De vero Euangelij usu*, comprehensos.

IX. Schuuenckfeldianorum sectæ affinis est illa quæ *Spiritualium* dicitur, qui & ipsi Scripturam nihil ferè faciunt. Vt enim Schuuenckfeldius passim, ac præcipue in libello *Valere* inscripto, docet, scripturam duos habere sensus, vnum literalem, qui sit in utroque; alterum mysticum & spiritualem, ad quem sola à Deo rapta anima penetrare possit: sic Spirituales solis sibi veram rerum ad religionem pertinentium cognitionem datam esse asserunt. nec opus esse Sacramentis aut vllis alijs subsidijs quam deuota meditatione Saluatorem in Cruce verbis illis *Consummatum est*, pronuntiatis, satis ostendisse; omnia ad salutem peracta, nec vllò amplius opus esse sacrificio, lege, aut Sacramento. Sed & ex his eisdem vltimis Saluatoris nostri verbis, omnes noui isti Euangelici omnium ceremoniarum & sacrificiorum abolitionem euincere ac probare conantur, non considerantes, Dominum & Saluatorem nostrum illis verbis tantum ostendere voluisse, opus Redemtionis nostræ iam à se esse perfectum ac consummatum; & veteri Legi finem impostum; ac verus illud sacerdotale officium in longe excellentius esse commutatum, vt Sanctus Paulus in Epistola ad Hebræos testatur.

Omitto plures minorum gentium, vt ita dicam, hæreticos: quorum memoriam & doctrinam silentio obrui quam posteris tradi satis est. Quot quot vero exstiterunt, à Luthero omnes progressi sunt: qui primus enses gigantibus his ad cœlum oppugnandum, vel potius, tamquam alter Bepus Troianum illum equum, è quo tot arma totum cohortes ad euertendam Ecclesiam prodierunt,

fabricauit. O cœli opprobrium, ac terræ odium, hæretici! qui omnes nulla in re nisi in pessumdanda Ecclesia conspiratis. Sed agite prout lubet, omnes vestras vires contra eam conuertite: stabit illa nihilominus, & tamquam firmissima incus, v estros omnes ictus respuet atque eludet. Cyclopas hos & gigantes infernalis Vulcani ministros, (quorum omnem vim Ecclesia non minus fortiter quam rupes fluctuum impetum excipit ac frangit) merito dixerimus: videamus tamen an *ijdem locusta illa sint, quarum in Apocalypsi ex ore infernalis putei egressarum sit mentio.*

HAERESION QVAEDAM FIGV.

IA, ex Apocalypsi petita.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

- I. *Quæ sit stella illa in Apocalypsi è cœlo delapsa.*
- II. *Ante Lutheri aduentum Fides fuit vniformis.*
- III. *Quid significet fumus qui aerem obscurauit.*
- IV. *Quæ sit turba illa locustarum.*
- V. *Modus quo locusta progressæ sunt.*
- VI. *Regem non habent visibilem hæretici vs Locusta sed inuisibilem.*

**M**ultitudinem illam hætenus confuso quodam ordine à nobis repræsentatam sectarum multitudinem non sine stupore intuenti, illud D. Ioannis de locustis ex abyssi puteo egressis vaticinium (a) itemque alia nonnulla ibidem prodita, impleta videntur. Per stellam illam è cœlo delapsam quid aliud intelligas quam Lutherum Monachum, hominem è terra quasi ad cœlum eleuatum, puritate & splendore quodam Ecclesiastici ordinis coruscantem primò, deinde vero Mundi huius cœno immersum, in cœstuosis innexam nuptijs, & in carnis & sanguinis voluptatibus sese volutantem, (b) qui vt prius Dei amore parentes, & fortunatarum ac dignitatum spem omnem à se abdicarat: sic eandem rerum spe ac dignitate, omnem rursus pietatem ac religionem abiecit ac proculcauit. Et sic: à Saluatore nostro D. Petro Apostolo cœlorum clauis data sunt; sic ei qui per stellam hanc designatur, à Sathana clauis infernalis putei tradita à S. Ioanne scribitur: è quo aperto, fumus tamquam ex magna foenace exierit, solemque obscurauit.

Bb 2 II. Ante

a Vide Bellar. in Resp. ns contra Chytraum: & P. Cotton, in Apologia. b Apocal. 9.